



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 71. Continuatio belli Ecclesiastici in Galliis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

die vigesima sexta ejusdem Mensis sine Sæc. XVIII.  
 singulari tamen pompa Viennam ingressus est. A. C. 1711.

§. LXXI.

*Continuatio belli Episcopalis in Gallis.*

Privata dissensio, quæ inter Noailium *Dorsanne*  
 Cardinalem & Rupellensem ac Lu- *Journ. t. I.*  
 cionensem Episcopos ob eorum Instru- *pag. 7.*  
 ctionem Pastoralem enata est, com- *Lafiteau*  
 mune inter Franciæ Episcopos bellum *Hist. de la*  
 accenderat, Marsque Ecclesiasticus, *Const. t. I.*  
 unde minime debuisset, exardescere *pag. 108.*  
 videbatur. Scindebantur Præsules in  
 duas factiones, quarum quælibet sese  
 Patronorum numero & potentia fir-  
 mare certabat: quælibet pro tessera  
 habebat fidei integritatem, & Augusti-  
 nianæ doctrinæ honorem, & quod mirum  
 est, utraq; sese contra Jansenium arma-  
 re, credi voluit, alia tamen aliam velut  
 Jansenii stipendia merentem certatim  
 criminabatur: Cardinalis Noailii Pari-  
 siensis Archiepiscopi partes tuebantur  
 Forojulienensis, Viennensis, Cenoma-  
 nensis, Sistericensis & Genlisus Embro-  
 dunensis Episcopi, quorum quidam Pa-  
 storalem Vapicensis Episcopi epistolam  
 in suis Diæcesibus legi aut retineri pro-  
 hibuerunt. E contrario favebant op-  
*Hist. Eccles. Tom. LXVIII.* U po-



Sæc. XVIII. positæ parti Bissyus Meldensis, plures  
 A. C. 1711. que alii Episcopi unacum Patre Tellier  
 Regis Confessario, cujus impulsu Ludovicus Franciæ Rex Sistericensi Episcopo præcepit, ut edictum, quo Vapientensis Episcopi instructionem præscripsit, quantocius supprimeret. Hæc dissidia, cum in manifestum Religionis & Ecclesiæ detrimentum vergerent, tollere adlaborabat Mentenonia, que pro ea, qua apud Regem valebat, gratia & auctoritate, obtinuit, ut Noaillius Cardinalis Aulam rursus accedens facultatem impetraret, seque ad in eundas reconciliationis rationes promptum exhiberet: Insuper Rex Delphinum, Bezonium Burdegalensem Archiepiscopum, Bissyum Episcopum Meldensem, aliosque primæ Nobilitatis Viros nominabat, qui de opportuno Noaillium cum utroque Episcopo conciliandi mediis deliberarent. Horum omnium sententia eo abibat, ut Noaillius Pastoralem utriusque Episcopi instructionem in sua Diæcesi passim legem permitteret, ejus discussionem horum Præfulum Metropolitæ relinquere suum vero edictum nuper contra præfatos Episcopos editum aboleret, & reflexionum Quesnellianarum librum impugnaret; ac denique hoc præfatum ambo Episcopi literis submissione plenè  
 Noail



Noaillo, ut Regi promiserant, satisfacere, & injuriam, si quam irrogassent, deprecarentur. Verum Cardinalis, insuperhabitis plurium sollicitationibus, horum consilia sequi, sibi minus decorum ducebat: quocirca Rex Rupellensi & Lucionensi Episcopis facultatem dedit, ut suam causam Romæ prosequerentur, qui etiam Abbatem Chalmettreum Canonicum Rupellensem & Jourquetum ad summum Pontificem decrevere, quorum tamen posterior, postquam anno sequenti Mense Octobri Romam venerat, paucis post diebus mortuus est.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1711.

§. LXXII.

*Quesnellistarum motus.*

Tum vero Quesnelli fautores, cum Magistri sui librum Pontificia si- mul & Regia auctoritate damnari præviderent, omnes fraudum & mendaciorum fontes exhausserunt, ut nova dissensionum semina Papam inter & Regem, ipsosque hujus causæ censores disseminarent: Præprimis igitur quemdam subornarunt, qui reflexiones in Pastoralem utriusque Episcopi Instructionem typis ederet: Hæ brevi publicam aspexere lucem, earumque Author fingebat, perinde ac si aliquamdiu,

Docum.  
Pastor.